

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 24. Urbanus Papa Romam redit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](#)

*ritati Scripturæ non repugnat, vide-  
tur probabile, quod excellentius est, at-  
tribuere Mariæ &c.*

Ecce qualiter Scotus suam men-  
tem circa immaculatam Conceptio-  
nem explicet. Quamvis jam nunc  
paulo fusius in hanc quæstionem ex-  
currisse videamur, occasione nocta  
ex iis, quæ Clemens VII. Pontifex  
in hac caussa gesserat, nihilominus  
adhuic redibit sermo in Historia  
Concilii Basileensis, ubi de decreto  
hujus Synodi in hanc rem condito  
differemus.

### §. XXIV.

#### *Urbanus Papa Romam redux.*

Urb<sup>n</sup>anus Papa Genua Perusium Niem. l. 11.  
abiit, ibique integro substitut an-  
no. Huic Germani quædam media  
finiendæ dissensionis cum æmulo suo  
proposuere, quibus tamen surdas  
præbuit aures, Regni Neapolitani  
curis totum ejus animum absorbenti-  
bus, sceptri jura sibi soli, non vero  
Ludovico Andegavensi, aut Ladislao

b 3 com-

competere ratus. Ergo mense Augusto jamjam senescente, copiis suis stipatus, Perusio egreditur, Narniam iturus; cum autem vix decimo milliario abesset Perusio, cespitante mullo, cui insidebat, duro lapfu variis corporis partibus læsus, præceps in terram ruit. Quapropter Tibur oppidum trans Romam situm, ac inde Ferentinum usque prope Neapolis confinia vehiculo delatus processit, de regni hujus imperio desperans. Cum vero Andegavenses copiæ transitum intercluderent, & aliunde ad solvenda militibus stipendia pecuniæ deessent, ingruente quoque hyemis rigore, Romanum redire coactus, eo pervenit ad initium Octobris, ubi parcas vitae suæ reliquias satis quiete transagit. Tres referuntur Bullæ eo tempore editæ, prima Jubilæi tempus ad quemlibet annum trigesimum tertium reduxit in memoriam ætatis Christi. Secunda, festum Visitationis B. Virginis die 2. Julii in perpetuum celebrari decrevit. Tertia denique statuit, ut non obstante

te

te interdicto ecclesiastico, festum Corporis Christi publice celebrari possit, eisque qui S. Eucharistiam, cum ad infirmos deferretur, comitarentur, centum dierum indulgentias impertivit.

### §. XXV.

#### *Mors Urbani Pontificis.*

Ineunte mense Augusto graviter æ-  
grotare cæperat, & venenum sibi Hist. Conca  
Pisan. propinatum fuisse, a pluribus credi-  
tum est. Theodoricus Niemus, qui  
huic Papæ a latere erat, Urbanum  
*sumpio veneno* decepisse scribit. Quæ  
verba Infantius interpretatur, Urba-  
num seipsum veneno occidisse. Nos  
hisce fabulis non immoramur; cer-  
tum enim est, quod morbo circa me-  
dium Septembris magis magisque in-  
gravescente, & per viginti octo dies  
continuos perdurante, die 15. Octo-  
bris 1389. obierit, postquam Sedem  
undecim annis & octo diebus, vitam  
autem annis septuaginta duobus fer-  
vasset. Sepultus in Basilica S. Petri